

Lia. 7.

93
SVPER
PARABOLIS SACRIS
TENTAMEN
AVCVPIVM DELECTATIONIS
FABVLARVM
EXPENDENS

EX AVCTORIT. AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

P R A E S I D E
VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACHIO A.M.

SEMINARII THEOL. ATQVE ALVMN. REG. INSPECTORE

A. D. VIII. APRIL. AB H. IX.

MDCCLXVII.

PLACIDO ERVDITORVM VIRORVM EXAMINI
SVBIICIET

GERHARD ARNOLD SYBEL

SEMINARII SENIOR.

GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM.

SYBER

PABABOLIS SACRIS

PER TANTUM

AVOCYVM DELECTATIONIS

TABVLARVM

EXAMINIS

PER AVOCYVM DELECTATIONIS

PER TANTUM

AVOCYVM DELECTATIONIS

PER AVOCYVM DELECTATIONIS

PER TANTUM

AVOCYVM DELECTATIONIS

PER TANTUM

PER AVOCYVM DELECTATIONIS

PER AVOCYVM DELECTATIONIS

PER AVOCYVM DELECTATIONIS

PER AVOCYVM DELECTATIONIS



VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI
EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

SPALDINGIO

SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO

PRAEPOSITO BEROLINENSI

ET

AD DIVI NICOLAI PASTORI PRIMARIO

GYMNASII BEROLINENSIS INSPECTORI

CET. CET.

SACRARVM LITTERARVM PRAESIDIO
ELOQVENTIAE ORNAMENTO
PHILOSOPHIAE DECORI
PATRONO SVO OPTIMO MAXIMO

HVNC LIBELLVM

ET SE IPSE

D. D. D.

A V C T O R.

VIR MAGNIFICE

SVMME VENERABILIS,

Si, quae optima imitandi est ratio, eam sequi in commen-
dandis quoque studiis suis quisque debet, vt, quem opti-
mum tandem norit, eius sese fidenter iudicio committat, in de-
ligendo **TANTO** mihi **VIRO**, vt assensuros habeo bonos
omnes, ita pietatis meae me summus affectus vehementer su-
stentat. Quem enim omnes admirantur auctorem doctissimum,
cognoscunt sincerissimum iudicem, eum nostrarum litterarum
quarumque veneror grauissimum patronum. Quare insigni
TVO nomini, **VIR SVMME VENERANDE**, adscri-
ptum, quidquid sit industriae meae, exile & nulla auctoris lu-
ce notescens, patiari, & fauens accipere velis, vt quod pie **SVM-**
MO

MO VIRO officium praesto, idem mihi nulla non sit eius, quod institui, commendatio. Faciunt prudenter, qui, dum inquirunt in artes, earum peritos imprimis consulunt; ego, quamquam de diuerso quodam genere quaestionem instituerem, virum tamen, siue acutiorem in animis perspicendis, siue in ducendis dexteriorem, quem praeter TE adirem, PATRONE OPTIME, inueni neminem. Subueritum autem, ne temeritas esset, velle VIRVM, qui tot negotia & tanta sustineat solus, leui tentamine morari, ea, quam cum summis virtutibus coniunxit humanitas, sperare me optima quaecumque iussit. Quae mea est felicitas, vt Halae praestantissimis praeceptoribus fruatur, viris honore & meritis insignibus, quodcumque tandem aspirare ingenium possit, quid ea maius est, si tantis me ducibus non prorsus indignum iudicarit VIR, cuius nomen laudesque manebunt, quem vt incolumem orbi mihique Deus conferuet, precor,

VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI

Halae Magdeburg.
a. d. VII. April. MDCCLXVII.

addictissimus cliens
GERHARD ARNOLD SYBEL.

SCHIRACHIUS LECTORI S.

Quemcunque fortuna, faeno laeta negotio, scriptorem esse iubet, is, gloriam petiturus, duas tantum ire potest, ceu Hercules apud Prodicum, vias, alteram, qua novos aquae dulcis fontes aperiat, alteram, qua aquam ex notis iam fontibus hauriens irriget prata fedulus. Ita est, aut scriptor noua proferre studet, aut iam dicta melius. Quid cogitabis, L. B. si profiteor, nos hoc libello vtrumque tentasse. Tuum est iudicare, nostrum, iudicium excitare. Vtrumque profecto conati sumus. Noli indicta causa arrogantiam condemnare, & accipe, quibus index carere nequeas. Dum *Sybelius* plus super eleganti dictione Phaedri disputare quaedam meditatur, & fabularum omnino natura, vir, quem nominare plus est quam celebrare laude mortali, *SEMLERVS* nos monet, pro ingenii & doctrinae amplitudine mirabili, qua humaniores literas ita priuatim ornat, vt palam sanctas, *parabolarum* mentionem fieri hic recte posse, quarum arcta esset cum fabulis societas. Quis talem auctorem non sequeretur, quo duce quisque tutior *Icaro* sublimia petet? Summus sic nobis hoc argumentum tractandum, vt ne plane prius consilium negligereamus, fabulaeque naturam, vt fieri posset, tangeremus. Habes nostram institutam rationem, cognosce de ceteris. Forte hic in iuuenilem aetatem fas est cadere quandam laudem, cum vt Cicero auctor est, (de Orat. II. 30.) *studium & doctrina praecurrat aetatem*. Quo fretus addo *Sybelii* operae hanc dissertationem, in qua componenda me sic rectore tantum vsus est vt Turnus apud Virgilium in pugna *Iturna*, esse tribuendam. Quid aut publice laetius, aut mihi optatius, quam praeclarae indolis iuuenem ex studiis quaerere laudem. Τὸ vero χρεῖ τοῖς εἰρημενοῖς, ἢ ζῆτες βέλτιον τέτων. Vale.

AD SYBELIUM SVVM.

Cur alii legent, quae ad te solum & me cum pertineant, lectorum non interest scire, priuatim proferre praestat. Mos quidem iste solemnis; at vel in officiis de more interdum decedere Tullius suadet. Quid multa? impense te amo, quia amas literas, proba, quia sequeris probitatem, foueo, quia colis elegantes Musas; gratulor denique tibi, quia specimen editurus es industriae atque doctrinae, gratulor mihi, quia amaturus me es in posterum, & rempublicam literariam ornaturus. Ne falle augurium. Vale.

CHRI-

CHRISTIANVS GODOFREDVS SCHÜTZ
 SYBELIO SVO DVLCISSIMO

S. D.

Ὅτι ἔδει μνησθῆναι τὰς κρείττους, est in ἐπιμνηστικῇ vicestimae quintae apud *Gabriam* fabulae; (cui TE in dissertatione TVA vix locum concessisse vñum, aegre ignosco TIBI, quum scias, hodie plerosque multorum libros non ob aliam rationem scribi, nisi vt auctores citari possint quam saepissime plurimi) sed extra iocum *Gabrias* TE monet, & quidem aquilae exemplo & monedulae (ne contempnas auctores) cauendum esse ab optimorum imitatione. Quid ergo? Tu, qui de fabulis optime disputas, earum ipse vim non sentis? Adhuc enim nihil magis TIBI fuit in deliciis, nisi vt optimos quosque imitando exprimeres. Quod ni fecisses, qui potuisses in SCHIRACHII V. Cl. amicitiam TE insinuare? quem quo minus prima in genere suo sequeretur, nunquam potuit siue GESNERI immortalitas, siue ERNESTII gloria deterre. Ipse porro libellus TVVS (at quam vitiosus, quam politus) TE arguit, quantum a SEMLERO nostro, quem huius ERASMYM seculi, etsi abnuat viri modestia, boni omnes appellant, quantum igitur in sentiendi liberalitate ab eo profeceris. Stultissimum est inquis, ad imitandum non optima quaeque sibi proponere. Istam TIBI mentem Deus conferuet. Sed quid in erim bono illi *Gabrae* fiet? Ἄλλ' οἴωσ' ἔτω, inquis. Id profecto placebat & mihi. Vale.

Errata typograph.

pag. 9. lin. 22. seraturi l. *scrutari*. pag. 10. lin. 19. admoui l. *admoneri*.
 pag. 16. l. 22. quantum l. *quantam*. ibid. lin. 26. annexae l. *annexae*.
 pag. 17. l. 18. eum l. *eam*. pag. 22. l. 23. ne l. *n'y*. pag. 23.
 l. 26. 27. paqua l. *pauca*. pag. 24. l. 25. tandem l. *tandem*.

§. I.



§. I.



Vt sumus homines; legimus, cogitamus, scribimus. Equidem multa, quae commentatus sum de fabulis, tacebo; sed cum multa cogitarem, nonnulla etiam esse scribenda aliis, & scribi cum venia posse, putavi. Quum praeterea auctoritate doctorum virorum probaretur, esse in fabellis magnam ad ducendos animos virtutem, non dubitandum existimaui in suauissimo hoc lenocinio perpendendo operam collocare meam. Accedebat, quam arcem causae meae constitui, vt loca quaedam in tradita a Christo disciplina ita exornata viderentur, vt fabularum prudentem disciplinam referrent. Hinc itaque, non tam perficiendi spe, quam experiundi voluntate id aggressus sum, vt primo ad fabularum ipsam naturam reuersus viderem, vnde praecipua earum vis sit deriuanda; deinde inuestigare eam in quibusdam Noui Testamenti parabolis, qua demum plenius perspecta id fabularum genus, quod in nostram aetatem cadere videretur, tangerem.

§. II.

Fuit in hac disciplina non eadem semper ratio, ex temporaria vicissitudinibus orta, nobis tamen non prorsus praetermittenda. Quae autem de principe fabulatore feruntur opiniones, eae fere sunt, vt reselli facilius, quam emendari possint. Quare consul-

A

uis

tius esse putamus, cum viro quodam insigni, quem gaudeo me in hac de fabellis disputatione primum nominare posse, GELLERTO *) statuere, quod & tutius est, & variis auctoritatibus ac ipsa re videtur comprobatum, esse hanc omnem disciplinam ab iis gentibus, quae sub oriente degerunt, deducendam. Neque tamen ea, quae antiquissima huius generis habemus exempla, Iothami & Ioasi regis **) videntur prima in hac arte existisse, quae potius solerti structura produnt id, quod suspicabamur statuendum, fuisse forsas eam artem non antea incognitam prorsus, sed usurpatam adeo a publicis populi moderatoribus, qui docerent plebem quid prodesset, idque translato quodam dicendi genere mentibus viuide insingerent ***). A qua consuetudine non abhorret illud, quod animaduerrimus in antiquiorum quorundam, *Nathanis prophetae*, *Iseschori Himerensis*, *Demosthenis*, *Menenii Agrippae*, *Herodis Attici* caeterorumumque, eiusmodi vitae docendae prudenti consilio, passim memoriae prodito, fabulas tunc temporis de praesenti quadam re monenda esse usurpatas. Ac neque *Loemanni* siue *Aesopi* ambigua nomina repugnant, si quis velit affirmare, primis illis temporibus fabellas omnes ex ipsa re, quam persuasum illico irent, natas fuisse. Inter eas forte fabulas, quas Aesopo attribuunt, illae hoc nomine dignae praesertim videbantur, in quibus praesens quoddam consilium factum; cuiusmodi exemplum refert Aristoteles ****), succlamat Gellius; †) interpretamentis aliquo modo probat Phaedrus. ††) Quod si tenemus facilis sit coniectura, vnde factum, vt nunc plures Aesopi fabulae insititio quodam *επιμυθία* languescere videantur. Post vero alia est quaedam fabularum ratio nata, quum eiusmodi

*) in Parte II. dissertationis de poetis apologorum eorumque scriptoribus pag. 26. seq.

**) Iudic. VIII. 2 Reg. XIII.

***) Vid. Lowth. de sacra poet. hebr. prat. IV. pag. 47. ed. Oxon. sec.

****) Rhet. L. H. C. 20.

†) Noct. attic. Lib. II. C. 29.

††) eiusmodi sunt Lib. I. fab. 2. Lib. IV. fab. 16.



prudentes admonitiones alius colligeret, adaugeret pro ingenii dote alius, & ad communem hominum usum transferret. Quo facto tamen fabulae vis imminuta, nonnullorum sedulitate prorsus interdum expiravit. Post praeclaros enim alios auctores, qui fabulis multa cum laude improbo populo saepe imperabant, inuitum ad grauissima quaecumque ducebant, infringebant inueterata flagitia, consecuti multi, qui optimam illam artem, detorquerent. Genus profecto fabularum recens natum, quibus communiore quadam ratione praemonentur homines atque instituuntur, ut si qua demum occasio inciderit, turpem vitam non ingrediantur, praua aut inania consilia abhorreant, maiorem multo circumspectionem requirit. Enimvero id consilium, quod fuit uerustiorum fabularum, ut, quod uile esset in negotiis quibusdam, ob animi tamen languorem siue commotionum improbitatem minus gratum uisum, commendarent, quum mutatum paullo eo quoque transferretur, ut mortalium errorem, quicumque tandem esset, corrigeret, cum aliam quandam inchoauit fabularum informationem, tum singulare iis studium elegantiae & urbanitatis adtulit.

§. III.

Videtur autem paullo difficilius esse definire, quam sentire eundam fabulae uirtutem; quare in tam multas ac dissidentes inter se opiniones forsitan abierunt, qui hac de re praeceperunt, quibus potuimus nec omnibus assentiri, nec impugnare singulos. Nos non dubitamus id praeteram tenere, quod cum ab antiquioribus suauiorae artis magistris, inde ab *Aphthonio* *) iam obseruatum fuit, tum in eam formam quam quisque in molienda fabula, siue ea percontanda effinxerit, includi potest. Hinc fabulam dicamus *scitam narratiunculam rei cuiusdam aetate, quae per imaginem nos de moribus cohortetur*. Acutissime enim GELLERTVS docuit, id, quod aduersus fictionem moneri possit, tantum non esse, ut contra nos ualeat. Multa, inquit uir elegantissimus, fabularum numero possunt inseri, quae quamquam nihil affecti habent, idem tamen moent

A 2

cum

*) in προλεγμεσι. p.



cum fabulis; sed cauendum, ne eas ipsas esse fabulas proprio nomine putemus *). Atque haec adiecimus, quia volumus accurate definire fabularum ingenuam naturam, & citra reprehensionem; namque lectoris quidem nihil interest, quum ad ipsum usum, quem habet fabula, respicimus, vtrum narratio sit ficta, an secus. De imagine autem videndum, per quam fabulam hortari diximus. Ea est in rebus, quas narrat fabulator. Ratio autem duplex: siue enim in illa fabulae imagine similitudinem valde congruam cum definitis humanis moribus perspicimus, siue est ea gestae rei descriptio, quae vniuersam quandam sententiam oculis subiiciat, quae quidem sine distincta cum certis humanis rebus comparatione instituta sese animo offert, eumque, quia omnis fabula pertinere ad suadendos mores debet, in sequenda consiliorum honestate leniter adiuuat. Alterum autem genus, ex luculenta similitudine praesertim virtutem ducens, cum humanarum rerum cognata specie cohaeret arctius. Quamuis & ipsum enim animum salubri quadam doctrina, eaque communiori, instituat, tamen non est vna haec eius opera, vt in priori genere, sed artificiosius & dilucide commonstrat plura, quae, connexa inter se apte & sociata, hominum mores, consilia, & instituta insigniter referunt. Hae itaque fabulae, vt illae, sententiam quandam probant animo, sed diuerso modo. Illae enim homines non tam adumbrant, sed repraesentant, in his ad homines pro-na magis est per similitudines transgressio, quae quidem non opinor, accommodata fabulae ad usum certum quandam sententia demum efficitur, sed simulatque ipsam fabulam percipio. Percellit imago, quae oculis subiicitur animum, ac honestatis turpitudinisque sensu afficit, quo permotus ea, quae colligit homo esse cum re narrata simillima, aut impensius amat aut fortius auersatur. Quae in rebus similitudo obuersetur auditorum animis necesse est, ea enim si sit obscurior, multam vim fabula perdit, & praeter id, quod exemplum valet, fere nihil prodest. Quam ob rem probi fabulatores qui, monere cum efficacia studentes, huius generis vtuntur fabulis de personarum suarum moribus definitis curant, quo procliuior sit animus ad iutuendum id, quod vel adumbratur

tan-

*) in dissertatione laudata pag. 7.



tantum vel plerumque etiam subnexis interpretationibus significatur *). Qua autem via fabulae praeclaram vim exferant in ducendis animis, id, quia de eo nobis instituta est quaestio, plenius ex hoc, quod iam diximus, apparebit, si praecipuas etiam earum affectiones singularim exposuerimus.

§. IV.

Principio itaque fabula claram quandam imaginem exhibet; qua quasi veste sese induens, homines, animalia, res inanimatas, deos denique ipsos simulat. Atque illam in efformandis imaginibus facilitatem, adducor fere, ut credam, primam fuisse fabularum parentem, quae phantasiae vis acriter animaduerneret ex rebus, quas circa nos conspiciamus, desumi multa posse, quae cum hominum institutis haud inuenuste compararentur. Haec vero emendare cum ingeniosus aggredederetur, in animalium orbem a natura fuit delatus **). Illa enim docet plurimas hominum siue virtutes siue vitia in animalibus, tanquam certis suis personis elucere. Atque id etiam causae esse, cur multi in fabulis nec ineleганter sane, magnoque cum fructu adoptrauerint animalia ostendit LESSINGIUS ***) & magister doctissimus & auctor grauissimus, vir ubique praecellens. Illa autem in fabulis imago, quia rebus in sensus incurrentibus tota expressa est, dici non potest, quantum fabulae praeceptis afferat adiumentum. Suauiter enim ducit hominum sensus, quibus se regi libentes patiuntur. Praeterea longe luculentius

A 3

*) Ita Phaedrus Lib. IV. fabulae 2. de vulpe viam frustra petente subiecit versus:

qui facere, quae non possunt, verbis eleuant,
adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Gabrius in eadem causa: ἐπιμύθιον πρὸς τὰς ποιήντας τὴν ἀνάγκην
Φιλοτιμίαν.

***) Eadem suspicio innuitur in Biblioth. elegant. litter. & lib. art. Vol. VII. Part. I. pag. 46.

****) In den Abhandlungen von den Fabeln II. pag. 181.



lentius cernunt ea, quae separatim sunt ostensa in rebus, oculis
 subiacentibus, quam quae in animo per notionum comprehensio-
 nem haud sine multo studio atque contentione perspiciantur. Qua
 quidem de causa videtur obseruasse *Quintilianus*, fabulas imperi-
 torum animos ducere praefertim valere. Atqui profecto eiusmodi
 fabularum imagine, quum mentis repraesentationem quandam per
 se ipsa facile exciter, prudens vteur, cuiuscunque rudiores mentes
 humili sensuum obsequio desuescendi pronuncia demandata est, &
 assuefaciet iis cogitandis rebus, quae sentiri nullo modo possunt.
 Accedit vt contingat praeterea homini multo amicior haec institu-
 endi ratio, eo, quod etiam aduletur hominibus. Quae enim est
 hominis natura, vt non facile ferat, qui mores cultos corrigere
 audeat, ocludimus pectus seueriori disciplinae, quae omni aucu-
 pio destituta grauis fit, ac delicatulis mentibus vim iniicit. Hinc
 solet plerumque euenire, vt eos, qui exigere id minus videntur
 audiamus; negligamus, qui rogant. Artem itaque hanc adhibuis-
 se illos videmus, qui rem ipsam inuicundam, tamen commenda-
 re suo commodo voluerunt, vt imaginum delectu, atque artificio,
 simplicitate etiam narrationis allicerent auditores, quo suorum sen-
 sim obliui, de aliena re viderent acute, adeoque multa fere cum
 iucunditate leges aliis sancire sibi persuaderent.

§. V.

Multa praeterea ex imagine gratia fabulae acquiritur, quam
 paucis exponere hic licet. Quid enim, quaeso, in orbe, quod hac
 voluptatis Dea nos aut suauius ducat, aut insolentius regat? Quip-
 pe quae & sapius nos frustrata & ad asperiora trahens, tamen dul-
 cis habetur & amica dux. Neque tamen hic attingam illa omnia
 aucupia, quibus exornarunt fabulas ingenia in Musarum sinu nutri-
 ta, id tantum tenens, quod ex ipsa fabularum natura deriuetur.
 Hoc quamquam vulgo iam non incognitum sit, tamen non praer-
 termitti videtur posse existimatori, cui est alicuius momenti ad
 consequentem quaestionem. Ac miraremur profecto, quae ex narra-
 tione in mentem nostram redundet, dulcem delectationem, nisi quo-
 tidiano vsu occallescentes quasi, videremus homines gestarum rerum

MAITA



narratiunculis suauiter morari. Et nescio, qui fiat, vt in discendis
iis, quae facta memorantur, nimis curiosi deprehendamus, arrecti
saragamus minorum & aures iis praebemus lubentes, in multis
aliis fere rebus obsurdescentes. Neque fabula habet ex hac nar-
randi suauitate nullam commendationem. Memorat enim res, non
iniucundas solum, sed & grata expectatione nos suspendit, quia
prae se ferre videtur, quod ad nos quodammodo pertinere arbitra-
mur. Porrigit & hariolandi vberiore occasionem, & animus su-
spicari multa, cauere nonnulla quae molesta videntur in alienis re-
bus, alia consequi coniectura trepidat. Cui contentioni animi haud
exiguam fabulae virtutem ad percellendas humanas mentes inesse,
iam obseruauerit dudum viri docti, qui vel de laude eius, vel de
arte plura disseruerunt. Atque hac via scimus, *Aesopum, Phaedrum*,
aliosque, quum affectus proprios in fabellas transferrent, impune
aggressos fuisse hominum mentes, & ceteros, qui ipsos secuti sunt
fabulatores summam laudem vel apud infimos homines sibi para-
se. Executus est quidem multis verbis *Eretingerus* *) hanc fabu-
lae commendationem, quam tamen fabularum admirabili speciei
vni adtribuere allaborauit, in quo, & quod eam iusto plus exten-
derit, aliis non probatus fuit, neque effecit apud me, vt mirabi-
lis, quod vocamus, ornatum in fabulis quaeram. Nouitatis qui-
dem delectationem praebere mihi fabula quacuis recto stans talo
videtur; quae haud exigua reperitur, dum occupat hominis ani-
mum, curiositatem excitans, quae & ipsa suauissima est occupatio
mentis, omnisque fere posseos dulce aucupium **). Hinc etiam
fabulis immoramur non sine multa iucunditate, dum non plana
omnia sunt, nec difficilia tamen ad interpretandum; eaque fabu-
larum exercitatio dici non potest, quam vel acutos quoque homi-
nes, Socrates atque Platonas vehementer alliciat. Quamquam
enim, vnde illa voluptas sit nata, non clare sentimus omnes, nec
semper eam animaduertimus, si tamen abest, iniquo animo pari-
mur cuncti. Videbis enim, quibus acciderit, vt fabulam audiant,
quae

*) In der crit. Dichtkunst pag. 178. 179.

**) Vid. praecleara huc facientia in Du Bos Reflex. sur la Poësie & la peinture.
P. I. Sect. I.



quae aut nimis fit in declarando consilio aperta, aut altius iusto istud occultet, eos multa cum molestia ferre, sibi aut laborem esse impositum ab eo, qui suauitatem minatus esset, aut infantem sustentasse delectare pueriliter; illud odio, hoc contemptui habent. Aut fallor, aut huc respexit *Marmontelius* in arte poetica *) vbi eas praesertim fabulas monet veras. hoc est iustas putari posse, quae de animalibus ceterisque rebus inanibus narrantes, commode humana consilia adumbrarent. Ducunt enim haec fabulae maximam ex comparatione cum hominibus ab attentione instituta venustatem, & propriam quandam virtutem. Quamuis fabularum ratio tam late pateat, vt vel hominum personas, vel aliorum in scenam recte producat; modo id illustret, quod fieri possit, atque euenire plerumque soleat, modo suadeat, quid pulchrum sit, quid honestum, & ab turpibus rebus retrahat; negari tamen non potest, eas quae oblectantis similitudinis virtute id perficiant, varia ratione ceteris praecellere. Enimvero in plurimis fere fabulis, quae animalia agentia sistunt, animaduertimus, non sine humanarum rerum cogitatione effici, quae vocatur, fabulae explicatio, graeci ἐπιμύθιον dixerunt; vnde forte dubitarit quisquam, an illae narrationes, in quibus audiendis nulla sit hominum in mente recordatio, quamdiu non est, fabulae virtutem habeant. Quod cum in fabularum arte disquirenda non abiici prorsus debeat, quin potius constituat ingeniam fabularum naturam, haud inepte id docere voluisse *la Motte* aliique plures videntur, qui ἀλλήγορας vocabulo vterentur, non illo quidem satis iusto, sed nec ad eam tamen, de qua diximus, similitudinem indicandam plane reprobando, quale doctissimo viro visum fuit †). Etenim in illis fabellis, quas dixi, aperta res est, quod omnis narratio per similitudinem quandam id declarat, quod percipere animum cum fructu oportuit. Vulpis v. c. vafrum quemcumque atque bilinguem, & qui eiusmodi sunt familiae

*) Vers. germ. Part. II. pag. 254.

†) *Lessing* in den Abhandl. I. pag. 118. seqq. Inuat contra talem virum aliquid monere posse, quia alias forte ultra humanum ingenium eum extollere pro mea summa veneratione debebam,

liae omnes in mentem reducit, Leo ferocem, ovis innocentem & ita porro. Neque non in fictionibus tantum non omnibus, ubi homines in scenam ducunt fabulatores, hanc monendi rationem, quae in simili rerum & personarum habitu versetur, si fabularum paullo acrius inspexeris fallacem vultum, obseruabis. Non vero est quaerendum, an ubique sit id praestitum, sed an fabulae nomen mereantur, & victricem earum virtutem prodant, quae hoc artificio, careant. Quod si altius indagare velimus, plerasque forte fabellas, illa similitudinae congrua vacantes, non *fabellarum* sed *exemplorum* nomine esse nuncupandas, inueniemus. Exempla autem & fabulae iustitiae quantum inter se differant, ei, qui non senserit, cum iure tacebo. Valebunt exempla plurimum, quando temporum accesserit opportunitas, id quod expendens *Aristoteles* *) παραδειγμασι h. e. veris exemplis, in persuadendis hominibus, oratorem nempe instituens, prae fabulis palmam tribuit.

§. VI.

Persequamur nunc reliquam indolem fabulae, qualem nostrae aetatis existimatores constituunt, nec illam ad fabulae efficaciam leuem. Cum homines haud sine exemplo aliquid facile audent, neque contra cauent satis vitia, quae admitti tantum possunt, peracta autem detestantur; acri huic ad monendum & vrentem quasi stimulo fabulator vitur. Iam multus sane labor esset, seraturi praeteritarum rerum monumenta, testes excitare, & commoda satis inuenire exempla ad alios docendos mouendosque; quare ipsi hac in re paullo esse liberiori licuit, cum ipsum praeterea adiuuaret hominum in condonandis fictionibus facilitas. Nam hanc veniam damus faciles, modo ficta esse, ne stulte moneamur. Quaerunt itaque in fabulis vero quoddam simile, quod, cum veritas cernatur in consensu rerum summo tum adesse reperitur, ubi sese homini offert, quod nulli fere obster opinioni mente conceptae, ac videatur potius conspirare cum illis omnibus amice. Qua itaque in re, ut suorum hominum maximam rationem habeat, qui fabulam condidit, accessit est. Namque Iosius, quae ex celebri arborum Libani sui

B

familia

*) Rhet. L. II. C. 20.



familia tuto prodiderat, ea Thrax ille ausus inter Romanos, rogat
 ut condonentur. Ipsa autem, quae fabulae conuenit, verisimilitudo
 est & in eius informatione & in structura partium. Neque enim
 ea tantum deligenda sunt, quae fieri quo minus potuerint, nulla
 est in mente credendi difficultas, sed ita quoque inter se compo-
 nendae sunt partes, ut quae sequitur, quaeque prior fuit, ne re-
 pugnet secum, ut primum ne medio discrepet, medio inuim, nec
 infelix sit opusculi summa. Qua tamen in re mirum, quantum
 tribuamus saepe auctoris fidei, si semel nobis imponere solerter sci-
 uit. Praeterea fabula, quum veritatis sit imago, *) humana consilia,
 honesta siue turpia, refert quadam similitudine, ac sic plerumque
 res gestas narrat, ut arbitrii humani quaedam eluceat simulatio.
 Quod si itaque hominum actiones adumbrare debet, qui fabulis
 narrandis eas monere studet, neque illarum rerum quae instinctu
 quodam proueniunt, aut accidunt fortuito, vlla sit in incitandis ani-
 mis virtus, eam in construendis fabellis curam quisque adhibebit
 doctus monitor, quam adhiberi possemus ab iis, qui in hippodro-
 mo equitandi artem docere iuuenes volunt, ut non ligneos equos
 admoueri iubeant, in quibus commonstrent praecepta, cauendique
 alacritatem. *Aktionem* hanc fabulae vocant, quam requirunt artis
 periti, forte *vitam* posses eam dicere significantius, quae exciter nos,
 atque certam quandam animi chordam pulset. Pendet etiam ab
 illa animi aut feruentior aut remissior commotio, & ipsa denique
 ex omni fabula orta voluntatis inductio, quae quasi vinculo quo-
 dam cum illa vita cohaeret adeo, ut vbi opus sit aliquando in re-
 bus, quae suadentur, maiori visu ac gravitate mentis, illa ipsa in
 fabularum exemplis vim exerere ingentem videatur.

§. VII.

Haec de natura fabularum dicenda erant, quo vis earum in
 instituenda vita humana plenius appareret. Namque ex verisimi-
 litudi-

*) λόγος ψευδῆς ἐπινοήτων ἀλόφειων Ἀρβιθῶν. προορμυσμ. pr. &
 Θεῶν προορμυσμ. C. III. pag. 28. alterum enim alterum exscripsisse pa-
 ret, si conferas vtriusque de fabula doctrinam.

litudine, quam solam sectantur, & late per vitam funditur vsus, &
 singularem virtutem in persuadendo adsciscunt. Nihil enim est in
 fabularum narratione, quod non ita factum putetur. Omnia sunt
 inter se apta, connexa, quidquid vsu periti praeuidemus, euenit, &
 quod inopinatum, nunquam tamen contra opinionem accidit. Quo
 fit etiam, vt fabula nos ita in praesentem quandam rem ducat, vt
 nihil non videamus, intueamur omnia, & quidquid tandem euenit,
 quo docere velit fabula, quasi in fonte suo inspiciamus. Studet
 praeterea fabulator, vt maneat eadem semper cum hominibus simi-
 litudo; siue ad animalia nos perducatur, siue ad inanimatas res. Ho-
 minum etiam cum hominibus nullum in fabulis est discrimen. At-
 qui cum fabulae id proprie commemorant, quod cur eueniret ex
 narrationis serie, & personarum quae interfuerunt agendi ratione
 elucet, hominum consilia in illis conspicua redduntur. Quare in
 eis & magna est voluptas ex *sympathia* illa orta, *) qua homo sui
 similes ubique deprehendit; & phantasia praesentes sequimur illos,
 qui bene rem agunt nostra opinione, qui male, relinquimus, ac
 demum re perfecta vel patimur cum aliis, vel gaudemus, vel de-
 ridemus scilicet. Non etiam est incongrua *la Motii* inter fabulas
 & tragoedias comparatio, **) habeat enim vt quisque videt *δαμνά-
 τικον τί*. Neque mentis quoque commotiones absunt. Etsi enim
 sit simplicior narratio, neque ampulletur in arte, natua tamen &
 propria personarum descriptione & euentuum, omnia animo ita na-
 turali suo habitu ostenduntur, vt honestum siue turpiter susceptum,
 animum motu quodam percillant. Quibus enim difficultatibus ho-
 mines laborant, vt, qui in quaque re probum sit atque vere pro-
 futurum, non satis peruideant, eae omnes impediunt hominem in
 sua tantum causa, quem si ab illo ipso paullo dimoueris, iustum
 & integrum rei iudicem constituit. Atque homo optime sic per
 fabulas ducitur, vt, quae sint in vita aut sectanda aut corrigenda,
 sine errore percipiat, cum nec praua aliarum rerum cupiditate,

B 2

nec

*) pluribus illustrata in cl. *Schirachii* dissertat. de *συμπάθεια* poetice
 §. 3. sqq.

**) Discours sur la fable pag. 19.



nec improbo sui amore impediatur. Est vero etiam hominis naturae maxime consentaneum, quae in fabulae imagine honesta sint perspecta, ita amplecti, ut si ad se ipse demum redierit, ea retineat, & ad usum adplicet. Observandum tamen est, quia sumus magis solertes in inuestigandis aliorum vitiis, quibus gloriamur, quam virtutibus, quibus invidemus, saltem torpescimus, videri fabularum maximam vim esse in dissuadendis pravis actionibus. Neque hoc non sensisse fere putem omnes, qui fabulis condendis operam navarent, in perstringendis vitiis hominum plerumque frequentiores.

§. VIII.

Prudentes hucusque abstinuimus a colligendis multis exemplis, quibus id, quod iam disputauimus, in maiori luce poneremus. Venisse tamen ea cuiuscunque in mentem arbitror, qui modo non sit ita literarum ignarus, ut nec Aesopum triuisset. Maiori forsitan iure, qui nos profectos anquirere de parabolis ex titulo cogitauerit, miratus est, quid sit, quod, cum saepius parabolis suus fuisset locus, in omni tamen dissertatione, earum non fecerimus mentionem. At, quam vellem ut plurimi me hac reprehensione dignum putarent, sic enim me reprehendere, quid aliud esset, nisi probare id quod euincere studeo! Ego igitur quamquam non arbitror quidem, posse de parabolis omnino usurpanti fabulae nomen, si seueras omnes leges, quibus circumscribitur ab artis magistris, requiras, tamen in iis, quae disseruimus modo, multa esse, quae ipsis parabolis apprime conuenire videantur. Quare proprium hunc locum fecimus disquirendae huic parabolicae disciplinae. Neque huc transferemus omne illud, quod *παροβολῶν* plerique dicere, quaeque tandem elocutionem, quae imaginem continet, intelligentes*), & quod, praeter alia, hebraeorum *משל* significat**), sed eum praesertim morem docendi hic respicimus, quem ob frequentem collationum usum eminenter *parabolicum* dicitur, quo
Chri-

*) vid. Grotius ad Matth. XIII, 3.

**) plura vid. apud Lowth. l. d. praef. V. pag. 18.

Christum maxime usum scimus. Elucet vero in illo prudentia summa, & diuinum prorsus illud munus τῆ φωτὸς τῆ κόσμου, quod, ortum inter densissimas tenebras, mortalium non oculos subito splendore obtudit, sed per laetam auroram exurgens, lucem radiorum subinde geminavit. Neque alienum esse videtur illorum temperum memoriam recolere, hominumque quos Christus tunc instituire praesertim aggressus est, indolem curatius perpendere. Videmus diuinum illum doctorem inter iudaeos, qui legis suae atque prophetarum quotidiana, non dicam meditatione, sed lectione, ita rerum imaginibus atque caerimoniarum apparatu adfuerant sese vt in religionis cultu, si ab externis rebus eos detraxisset, nulla fere mentis fuisset subtilior cogitatio. Nutrita quoque fuit populi ignorantia, hebesque animus, ab ipsis suis, quos sequebatur, doctoribus, Pharisaeorum funesta familia*). His iniquis ducibus vsi iudaei, improba opinionum, quasi per manus traditarum, mole, ac rerum cauendarum innumeris praeceptionibus a veri contemplatione integra abstraherantur; earum vero rerum, quae sub aspectum non caderent, peruersa specie, futurarumque rerum ad sensuum desideria accommodata maxime doctrina, ita capti erant, vt neque emergeret animus, ad diuinorem quandam doctrinam percipiendam, nec persuaderi sibi talia facile pareretur. Quam vero viam Christus in docendo secutus est, ea inter hos homines & tutissima, & ad peccus mouendum directa reperitur esse. Qui enim misellum populum ex tanta calamitate torque erroribus vindicare veller, & ad sanum quendam mentis usum perducere, summa ei ars adhibenda erat. Perfecit Christus prudenter, vt peritus humanae mentis medicus, salubres doctrinas, corrupto autem iudaeorum sensui fastiditas & peruersis animi opinionibus ingratas, variis dulcedinum aspersioibus temperat atque iucunditatis commendatione prosequitur. Allicit homines variis imaginibus, sanctoris cognitionis elementa circumuefficientibus. Neque enim animos aduetos caerimoniarum delectamentis prorsus conturbat, sed

B 3

verbo-

*) Docet hoc Vir summe vener. Semlerus ὁ πάλιν in Instit. breuiori ad lib. erud. theol. Lib. I. §. XXXIII. Lib. II. pag. 30.



verborum quasi caerimoniis atque figuris leniter ducit, & eam, quae inter hos populos adamata erat per parabolas docendi, consuetudinem *) adeo non spernit, ut id, quod aperte monuerat alios, aliis per imagines easque diuersas repeteret, quo certiore sibi assensum atque constantius obsequium inter homines variae indolis pararet. Laudar ipse & commendat aliis hanc prudentem instituendi disciplinam**), quam praeclare secutus, auditorum discrimen obseruat, ut quo quis maiorem iam facultatem nactus sit, in diiudicandis rebus sublimioribus, eo subtiliorem adhibeat docendi morem. Qua igitur admirabili *οικονομία* Christus familiares quasi suos erudiuit diuersa ab illa ratione, qua erga *τους έξω*, utebatur. Haec fuit ista *οικονομία*, qua *χωρεῖ παραβολῶν ἐν ἐλάλει τοῖς ὄχλοις, κατ' ἰδιάν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, & τοῖς περὶ αὐτοῦ, ἐπέλεγε πάντα.* ***)

§. VIII.

Esti quaecunque Christus docuit non omnia, nec adeo parabolae omnes literis mandatae sunt, multae etiam similitudines inchoatae tantum ab historicis sacris & in compendium redactae, ex iis tamen quae supersunt animaduertere licet, Christum cum diuerso hominum genere: eoque triplici praesertim rem habuisse, cum parabolis uteretur. *Alii* fuerunt, qui gestarum ab eo rerum admiratione ac beneficiorum aueupio, siue etiam humillimae sortis suae laeta sperata mutatione, ad ipsum confluere. Hos Christus prudenter detinet, atque ea qua fruebatur iam auctoritate sibi conciliat, variis rerum imaginibus excitans animos. ut de praestantiori illa hominum expectata conditione, quam sapienter nomine *της βασιλειας των ουρανων* innuit, iustam sibi fingerent speciem, ingenia acuerent, atque lumina quaedam, quae ibi micarent, secuti, sensim a deuiis ad

*) quod Hieronymum iam obseruasse ad Matth. XVIII. auctor est Grotius ad Matth. XIII.

**) Matth. XIII, 52.

***) vid. Marc. III, 34.

ad rectam viam seducerentur. Hos itaque homines erudiens Christus parabolis, ductus necessitate quadam vitur. Nulla enim erat mentis cultura, qua subtiliora dignoscere; namque *βλεποντας ου βλεπον* ipse Christus affirmavit, nisi ea proferret, quae sensus afficerent. Hoc parabolarum genus maxime versatur in illustrandis rebus incognitis, quo imaginum repraesentatione eo tandem adducerentur homines, ut Christum melioris doctrinae auctorem putarent, & quod animo esset de sanctiori doctrina tenendum, sensim colligerent. Eo sine varias cumulavit similitudines, ad adumbrandas diuinas res; & omnia ut animis ita exposita daret, quaerit itentidem: *τινι ομοιωσωμεν την βασιλειαν τς Θεσ;* *Alii*, quos parabolis monere Christum videmus, ii fuerunt, qui iam salubrioris Christi muneris quandam formam tenebant, quos confirmare tamen de singulis quibusdam virtutibus, easque iis fortius persuadere per parabolas meditabatur. Quemadmodum enim fabulae communem vitam docent, ita Christus hominum mores ad pietatem religionisque praestantiorum cultum ducere parabolis suis studet. Vnde in hoc praesertim genere non alias nisi humanas res assumi in comparatione posse, quilibet videt; quae enim in omnibus parabolis aut rerum tractandarum dignitas, aut in animalium orbe, nimis delicatum atque fastidiosum Iudaeorum ingenium inuidiosa forte abhorruisset, ea nec in hoc genere quidquam ad persuadendum valuisent. Nam uti communia hominum consilia pulchre animalium multiplici agendi ratione depingi possunt, ita ex contraria parte cum religionis diuiniore ratione non, nisi quae ex humani ingenii varietate defumantur, comparari optime possunt. Hae itaque parabolae, quas diximus, quanquam etiam propter occultarum rerum illustrationem multa cum priori genere adiuncta saepius habent, tamen ob persuadendi singulare quoddam consilium distingui possunt, & ad apologorum naturam propius accedunt. Denique obseruamus, Christum interdum sic pugnare cum aduersariis, ut parabolarum prudenti vsu funesta eorum consilia cum offensionis aperta cautione ac veritatis summa virtute exprobet.

Descripsimus paucis rationem, quam Christus in docendis hominibus variae indolis in it, frequenter parabolis vsus, quia fas erat, eum qui iuste de parabolis disputare vellet, paullo attentius inhaerere, quibus quippe graue munus docendi rudes tunc homines, pariterque monendi, obiisset. Iam videtur posse plures parabolas commode cum apologis componi. Nam si perpicimus illustria exempla, quibus scimus multos vsos fuisse ad mouendos homines in re quadam dubia atque graui, & si perpendimus aliorum quorundam instituendi consuetudinem, qua variis narrationibus plerumque meliorem vitam suaderent, Christi disciplinam haud absimilem esse videmus. Quam alii adhibuerunt artem eo consilio, vt probos mores commendarent, eam Christus & ipse multo cum fructu adhibuit, tum ad mentem erudiendam, tum ad ducendum animum. Saepe mentem vniue erudit; neque enim fieri potuit, vt mortalium animos in sanctiori vita inchoanda regeret, nisi ipse docuisset antea atque illustrasset, quid sit ad quod perducere tandem animum vellet. Profert itaque Christus saepe parabolas, quae, cum recte intelligere hominibus aequae esset difficile, quam probe agere, prudenti artificio atque variis aucupis intelligentiam emendarent. Cui enim hoc in loco vel vnum illud atque prudentissimum exemplum in capite Marthaei XIII. non suffecerit? Sed & aliis quoque huiusce modi parabolis, *) quantum fuisse vim in desideriosos animos excitandos atque hebetes acuendos peruidebit, quicumque imaginum claritatem atque delectationem & narrationum miram gratiam, ingeniique suae exercitium, quod procreant, expenderit. Hinc etiam alii parabolis, quae monent, annerae insuper sunt sapientius *ἡμετέρας* quaedam, ex ipsa illa narrationis virtute commendatae animis

ἔξ ἑαυτοῦ δε τε νηπιος ἐργω,

quo altius infingerentur, atque memoriae imprimerentur fortius. **)

Progre.

*) vt Marc. III, 26. Math. XIII, 24.

**) Venerunt in mentem Math. XX, 16. Luc. XIII, 30. & Luc. XVIII, 14. Math. XXIII, 12. Luc. XIV, 11.

Progrediamur nunc ad alius generis parabolas, quae potissimum hortabantur. Eae sunt omnes ex praesenti re natae, ubi quidem, ut alii gerendae rei auctores narrationibus eiusmodi exstiterunt gra-
uissimi, ita & Christus praesertim adegit hominum animos, quocun-
que vellet. Videbimus iam ex eo, quod sunt fictae narrationes ad
suadendum imaginis ope accommodatae, pluribus de eorum vi at-
que natura.

§. XI.

Est autem in iis praesertim similitudo clare exprimens id, de
quo monendum est; atque, ut in illis narrationibus, quibus teste
praefens consilium suaderent sapientes alii homines, maxima virtus
ta *αὐτῆς* inde orta est, ita parabolae quoque summam *ἐγγειαν* simili-
tudine habuerunt. Prudens enim est haec Christi consuetudo, ut,
quae parabolis ita suadet, iis praesertim hominibus, a quibus audi-
tur, apte accommodet; quorum semper conditionem variam ac di-
uersum ingenium, consiliorumque rationem attendens, in ipsis his
parabolis narrandis non vna ratione versatur. *) De similitudine
autem constat, adhibuisse eam in parabolis personas atque rerum
gestarum tales descriptiones, quibus facili negotio intelligeret quis-
que, quid esset, de quo moneretur. Ut autem ea, quae Christus
ex sublimiori doctrina persuasum ibat, in externis rebus non aliter,
quam comparando monstrari poterant, sic hominum & ingenio &
variis opinionibus, scientiaeque obsecundauit, adeoque regis, pa-
trisfamilias, vineae, coenae imagine usus, ne res quidem essent ob-
scurores, ei, qui paullo attentius audiret. Neque noti mores, Sa-
maritanorum, Pharisei, & portitorum non fuerunt adumbrandis
quibusdam consiliis maxime conuenientes. Haec itaque cum Chri-
stus narrationibus suis intexeret, effecit, ut praeclarae & viuae oc-
cultarum rerum imagines animis subiicerentur, iisque optime ac
multa cum vi casti mores, pietatisque ingenuus cultus mortalibus
imprimeretur. Audiendi quoque suauitate & comparationis de-
lectatione, quicquid sic praeceptum, commendauit sese, nec grauius
offendit. Inimicorum adeo patientia adiutus grauius Christus de-
pingit

C

*) Vid. Matth. XXII, 1. Luc. XIII, 16.



pingit iniusta eorum consilia, & crudelem erga se animum aggre-
ditur; attendunt, probant, succensent mox & saeuunt. *) Sed
videmus & alios imaginum luce, eaque quae erat in parabolis simi-
litudine, percussos id amplecti, quod mens haud ignara quidem, ta-
men antea respuerat. Petrum apostolum, credo, vel septies moni-
tum, non futurum fuisse in condonandis aliorum iniuriis tam faci-
lem, quam ubi parabola illa monitus erat. **) Fuit praeterea sum-
ma vis in comparatione parabolae cum ipsa re, quam quisque ita
ipse instituit, ut Christum non oporteret vel verbum saepius adde-
re; quae enim sunt sententiae interdum annexae quidem, ex nar-
ratione ductae, adeo non pertinent ad parabolae perfectionem, ut in
nonnullis fere locis exornandae rei atque confirmandae causa adpo-
sitrae videantur, quod neque in aliis fabulis alienum esse, probat
Phaedrus. ***)

§. XII.

Parum vero adest, quin adducar, si narrationis verisimilitu-
dinem respicio, ut plures parabolas hac in causa colligam, quibus
Christus & componendarum partium apta structura, narrationis non
interrupta serie, & simplicissima loquendi ratione, ita res gestas re-
fert, ut vel oculis intueri illas videaris. Sed, mirumne est, an ri-
dendum potius, quod multi hoc artificium haud satis animaduverten-
tes, earum rerum quaerunt in explicanda parabola significationem,
quae non nisi ad extruendam fabulae verisimilitudinem atque or-
natum pertinerent. Qua de re monitus itentidem a praestantissi-
mis S. S. librorum interpretibus, ne voculam dixissem, nisi *Grotii*,
summi viri auctoritatem in ea laborasse aliquando vidissem. ****)
Quod si autem Christus auditores praesentes quasi constituit phan-
tasia illi rei, quam ita exponeret, potuitne fieri ut ne summo
animi affectu effrenescerent, si conspicerent patrem illum adhae-
rentem collo filii sui, tandem ex flagitiorum impuritate ad se reuer-
si?

*) Matth. XXI, 33. seqq.

**) Matth. XVIII, 23.

***) Lib. I. fab. 13. Lib. II. fab. 1.

****) Vid. eum ad Luc. XV, 22.

si? quis non indignatus sit fratri illius maiori natu? *) Quid percellere tandem magis Iudaeorum mentem potuit, quam quum viderent filium primo parvum susceptum, imo solum, occidi a servis haeredipetis? **) Et rem gestam etiam Christus auctoritate sua sustentat, quo ei constet veritatis honor. ***) Ac profecto ducit homines longius a sua ipsorum causa, ut id abhorreant, quod impetratos rogassent antea, ****) dum etiam eos, alieno quasi in orbe constitutos, acutissime tangit †). Plurima certe sunt, quae afferri hic possent, si animus esset cuncta persequi. Observemus tamen propriam τῶν αἰώνων virtutem in his omnibus, quas attingi, narrationibus, elucere ut cum maxime. Vbi enim in similibus rerum comparatione versantur potissimum, ut id quod apertius perceperis in narratione, siue honestum atque amabile, siue turpe, ad alias res congrua similitudine cum illis coniunctas, quod vel suis quemque hic sensus docet, transferas, exemplorum illustrationem antecelant. ††) Atque haec Christi solertia semper fuit, ut, quantum fieri per fabularum paullo occultiorem aculeum potuit, similitudinem luculenter innueret, adeoque rerum humanarum probatam rationem cum diuinis conferre maximo opere commendaret; ne οἱ υἱοὶ τῆς αἰωνοῦ τῆς φρονιμωτεροι videantur in sua re, ὑπερ τῆς υἱῶν τῆς φῶτος.

§. XIII.

At iam videor mihi audire clamantis voces quaerulas, vae tibi! diuina misces cum profanis, vae tibi! seruatorem nostrum fingis esse poetam. Cuius criminis priori parti in iis occurri, quae hactenus de parabolis disputavi, alteram nunc partem diluere paucis liceat. Tantum abest, ut poetarum fabulas cum Christi parabolis plane conferam, ut vltro quam maximo ab iis distare discrimine putem.

C 2

Con-

*) Luc. XV, 11. sqq.

**) Matth. XXI, 37. 38. 39. Luc. XX, 13.

***) vid. Luc. XVIII, 14.

****) v. c. Matth. XIX, 27. sqq. — Cap. XX.

†) vid. Matth. XX, 15.

††) Eiusmodi est Luc. X, 30.



Contuli eas hucusque cum fabulis, sed antiquis, sciungo nunc, sed ab nouis. Induit enim sese iuniore aetate suadela tabellarum noua quadam forma, nitidior illa quidem, at ab illa qua *Aesopo* apparuit, vt cum maxime diuersa. Huic enim neglecta decens, *Phaedro* elegans, *Fontanio* visa est Siren amabilis, & Galathea illa lasciuia, quae se cupit videri. Obseruauimus iam supra, suae aetatis suorum hominum ab quouis fabularum scriptore esse rationem habendam, iidemque in rem praesentem, ostendimus, plerasque antiquissimas fabulas esse conscriptas. Vbi igitur prudenti consilio vita erat moneunda, quod futurum quasi usum aut saltem ita amplum praestaret, vt ad multos simul pertineret, vbi poetae laudem cupiebat fabulator, quam iure suo ambire poterat, summa iam ei necessitudine coniunctus, ea, qua poetae tuti pectus hominum expugnant, ei etiam erat via tenenda, hoc quid est aliud, quam delectare debebat. Aliis id *Phaedrus*, aliis deliciis *Fontanius* praestitit. Quod cum mecum repero, non video, quo nomine Thrax ille elegans sit reprehendendus, quod tersa oratione, placente & comtiori vsus, non auctoris sui Phrygis fidus interpret, circa vilem patulumque moratus sit orbem. Imo vero mihi eo ipso artificio Romanus Graccum interdum superasse videretur, siquidem Aesopi fabellae plane tales ad nos peruenerunt, quales ipse ediderat, de quo adhuc ambigo. Si qui sit tamen, qui a partibus *Lessingianis* stare velit, *) quamuis perlectis doctissimi cuiusdam viri obseruationibus **) eum frui sua interim sententia iubeo, quia vberiore causae meae defensionem hic locus non capit. Interim *Desbillonii* francogalli fabulas, ad Phaedri elegantiam quam proxime accedentes, nostrae etiam aetati valde placuisse, sciat.

§. XIV.

Placet etiam atque etiam elegantia *Phaedri*, & forte nunc quoque, quemadmodum Graeci ante Herodorum, non fieri posse credebant, vt oratio pedestris pulchritudine multa ornata, sine versusum illecebris delectaret, sic nos putaremus, fabulam, sine elegantia tali romana oblectationis lenocinio omni destitui, nisi faceret *Lafontanius*

*) Vid. librum eius supra laudatum pag. 230. sqq.

**) in Biblioth. elegant. lit. & lib. art. Vol. VII. P. I. pag. 52. sqq.

nus dictionem fabellarum nouam reperisset feliciter. Hic enim cum quaereret gallico ore proferre elegantias & apud populares suos risum mouere, lepores peperit; cum studeret gentem docere superbientem & sui impense amantem, se ipsum abnormem sapientem & simplicissimum simulauit; risui se exposuit, ut audiretur patienti aures, ignari suscepit personam, ut docere liceret; omnes ueneres, ludicrum dicendi genus, iocos & sales in subsidium uocauit. Excepta eius disciplina ingenti applausu est, cum ea nostrae aetati maxime accommodata sit, & amoris hominis erga se ipsum, visque doctrinae, quam monet fabula, nimium quantum eiusmodi illecebris sustentetur, ad capiendum hominem, mouendum, corrigendum. *) Consecuti sunt Fontanium, aut saltem eadem duce Dea hanc fabulae orationem tenuerunt, quicumque & apud nos summam in hoc genere laudem tulerunt. Quid? quod apud Anglos *Gayus* eandem uiam, eandem *Gellertus* apud nos tenuit, & *Lichtwerus*. Plurimis ut iam monui, gratis ornatum id fabularum genus satis recte depinxit, addita causa, quare apud nos tam praeclare constiterit *Aubertus*, **) qui haud benigna ubique *Minerua* in eo adoptando laudem ambiuit, his uerbis. quae adscribere iuuat: *Une naïuité piquante dans le recit & dans le style; une délicatesse singulière dans les reflexions; une gaieté philosophique dans la Morale; un choix exquis dans les images; une façon de narrer toujours variée, toujours séduisante, une facilité étonnante à répandre tous les trésors de la Poésie, sans paroître y songer, un air de bonne foi, une simplicité apparente, qui empêchent, qu'on ne soit en garde contre l'instruction; mille graces ingénues & touchantes, quand il s'agit d'exprimer le sentiment;*

C 3

ensin

- *) Confer si diligis praecleara & huius artis interiore naturam cognoscere cupis, *Marmorelii* artem poet. P. II. in toto fere capite de fabula.
- **) dans les fables nouvelles divisées en six Livres. à Paris 1764. Saepe nimia loquacitate laborat, ut Lib. I. fab. 7 saepe sententiam iam in narrando tam aperte innuit ut *ἐπιφανῶς* frígescat additum. v. c. Lib. I. fab. 5. Libr. 6. fab. 4. cet. auda saepe est, non satis recta *ἀλλυγοίη*, neque tamen omnino laude vacat, imprimis eam propter leporum uenustatem meritis. Locum supra laudatum uid. in praefat. pag. 12.



enfin un nombre prodigieux de maximes sages, neuves, profondes & intéressantes: voilà les qualités heureuses, qui ont fait goûter en France l'Apologue manié par la Fontaine. Eleganter inquam describit & vere non Fontanii solum, verum etiam Gellerti & Lichtweri disciplinam. Duæ imprimis tamen sunt virtutes, quibus novæ hæc fabulæ ab antiqua informatione plane distingui advertimus, *urbanitas & nativum dicendi genus*, quod nos vocamus *Nâiveté*. Consistit hæc ingenua & placens venus maxime in eo, quod latus quasi damus alteri apertum, simplices candore quodam pectoris confitemur nosmet ipsi & rudiores aliis, cum quadam tamen orationis virtute. *) Apud fabulatorem præsertim cernitur in maiori luce, quam dat ista rudis simplicitas, & personis & ipsius scriptoris credulitati, quam vltro fabulam legentes ponimus. Si apud Phædrum **) vides ranam, ut bouem magnitudine acquaret. *rugosam inflare pellem*: tum natos suos

Interrogat, an boue esset latior?

Illi negant; rursus intendit eum
Maiori visu, & simili quaerit modo

Quis maior esset? Illi dicunt bouem,

Iam sympathia concitata est, sed si apud Fontanium ***) rana:

Envieuse s'crend, & s'enfle & se travaille

Pour egaler l'animal en grosseur;

Disant: Regardez bien ma soeur

Est ce assez? dites moi, ne suis-je point encore?

Nenni. M'y voici donc? point du tout. M'y voila?

Vous n'en approchez point.

Nonne rides ranam ambitiosam? Nonne plus quam apud Phædrum sentiens quasi ante oculos intrueris eam ita stulta loquentem & ridicula? Hæc est igitur nova illa ex nativa oratione accedens imaginis venustas & quasi vita. Idem fere senties, si eandem scenam apud poetas antiquos nostros *Minnesinger* dictos ****) vides. Rana

Zum

*) si accuratius noscere vis illam venustatem haud vulgaria reperies in amabilis *Mosis* philosophischen Schriften P. II, p. 176. lqq. interiorum eius naturam optime expositam in *Marmontelli* art. poet. P. II. p. 349. lqq.

**) Libr. I. fab. 24.

***) Libr. I. fab. 3.

****) fab. 46. p. 96. ed. Bodmer.

Zum andern male bläht er sich
 Vast vil und sprach, mocht ich gelich
 Dem grossen Ochsen werden
 So beschach mir uf der Erden
 Nie so lieb uf minen eit.
 Der sun sprach, Vater ist mir leit
 Das du dich marterst ane not
 Ich forcht du werdest ligen tot,
 Du macht kommen um den Lib
 Volg mir las abe din Herzen Kib. - -

Hoc modo personas in maiori luce ponit illa simplicitas. Quodsi
 Gellertus addit fabulae:

Wie freu ich mich das es bey Thieren
 Noch Leute gibt, die alles demonstriren,
 Mir hats der Fuchs für ganz gewis erzehlt.

fabulatoris credalitas, qua nixa est maxima vis fabulae, elucet cum
 summa suauitate. Sed innumera sunt eiusmodi exempla, vbique ea
 apud bonos auctores inuenies. Haec de nativo dicendi genere.

§. XV.

Posuimus praeter nativam orationem alteram nouarum fabu-
 larum propriam virtutem, *urbanitatem* siue *festiuitatem dicendi*. Haec
 quae sit, vnus quisque, cui vna tantum fabula *Fontani* aut *Gellerti*
 nota est, nouit. Plura hic verba aut in defendenda illa ratione nar-
 randi, aut in oppugnanda facere possemus, at cum ex iis, quae antea
 sunt dicta, iam satis eluceat, nos eam propter oblectandi poetae con-
 siliū non posse non comprobare, non placet multa dicere, vbi pa-
 eua sufficiunt. *) Illud tamen tangere liceat, quod animaduertere
 quibus saepius poterit, haud raro hanc festiuitatem *συμπραξιν* ipsam
 acrius mouere, modo nos conciliare amicos personis, **) modo sub
 aspectum nostrum ponere res, loca, tempora, quae inde petantur,
 descriptionem & sententias, vt in illa fabula francogalli *Ganean*, la
Lion & la Mouche

près

*) vide tamen, si plura in hanc rem legere libet, den Nordischen Auffseher
 Tom. II. p. 540. sq. ed. Hafn. maj.

**) vid. v. g. dans les Fables d'Aubert Lib. VI. fab. 2.



Près d'une ruche, un Lion en passant
fut piqué d'une Mouche. Il crut en sa colere
qu'il eut été pour lui déshonorant
De pardonner une offense légère

*Cet Effort de vertu, n'est pas fort ordinaire
chez les Lions. L'est - il beaucoup chez nous? cet.*

Haec recens fabularum forma demum nacta est emendatorem no-
uum, ingeniosum illum quidem, sed huic tantae rei non parem.
At cui non dictus *ia Notius*? Videtur autem vitiosior nostra proge-
nies, quam illa, cui fabulas simplices edidit Aesopus, illecebras iu-
cunditatesque multas poscere eum, qui delectando docere instituit.
Hinc aurea etiam aetate graeca digniorem quam nostra, incompa-
rabilem Lessingianam rationem componendi fabellas iudicarem, nisi
& ipse pro diuino ingenio multa arte & festiuitate quadam leniori
nostro tempori consuluisse. Sed, quid si dicamus, nec antiquo illi
tempori plane abnuui omnem illam vrbanitatem cuius nunc *Fontanum*
quali parentem habemus, posse? Coniectura certe id consequi liceat
cum *Theon* *) varia fabularum genera recensens addat: *ἐστὶ δὲ πρὸς*
ἀλλήλους διαφορά το περισκεμιστον αὐτῶ ἐκαστον ἰδίων γένος, & *Milesias*
fabulae iam ab aliis interpretibus iocosae & delicatae sint existimatae.
Forte eius generis fabulae non nostra tantum ad tempora peruene-
runt. Verum hic coniecturam firmare neque vacat, neque libet,
nec multum attinet. Poetas certe *Minnesinger* in sententia adiecta co-
mitate quadam saepius vsos fuisse videmus, vt in illa fabula, qua, quid-
que tandem agas, reprehensionem euitari non semper posse, doce-
tur. **)

Davon so wil ich raten dir

Das du tuest recht unde wol

Wer recht tuot der wird felden vol

An straffung mag kûm ieman wesen

Wer mag an hinder rede genesen

Wie vil ein moensche guotes tuot

Es dunkt die welt nit halbes guot.

Auerrunco omen dissertationi meae, & timidus, confidens tamen
humanitatis meae sociis, plura scribere nolo.

*) *περομυμιασμ.* c. 2. p. 28.

**) *fab.* § 2. p. 123.



Fc 4324

ULB Halle

3

003 719 049




Slc

VD 17
VD 18

mit







93

SVPER
PARABOLIS SACRIS
TENTAMEN
AVCVPIVM DELECTATIONIS
FABVLARVM
EXPENDENS

EX AVCTORIT. AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

P R A E S I D E

VIRO CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACHIO A. M.

SEMINARII THEOL. ATQVE ALVMN. REG. INSPECTORE

A. D. VIII. APRIL. AB H. IX.
MDCLXVII.

PLACIDO ERVDITORVM VIRORVM EXAMINI
SVBIICIET

GERHARD ARNOLD SYBEL

SEMINARII SENIOR.
GVESTPHALVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM.